Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



nos meritis et precibus eius participes simus. et post ipsam in odore un-
guentorum suorum curramus. occurrentes illi cui ipse totus festiuus
hodie cum angelis occurrit. ipso adiuuante qui uiuit et regnat in secula seculorum. amen.

In octaua assumptionis beate Marie.

Anima mea liquefacta est ut dilectus locutus est.
Hec licet ex persona ecclesie psalemonem dixerit spiritus
sanctus. domine tamen nostre beate uirgini Marie specialiter ascribun-
tur. Ipsa namque per illuminate mentis excessus. totis in deum
transiens uirtutisque hominis affectibus. igne diuini amoris liquefac-
ta. nil ex hiis que dilectus per sacras scripturas est locutus. surda au-
re preteriuit. sed omnia operibus adimpleuit. Quo autem igne caritatis
etiam erga [illegible] primos inflamata fuerit. innuitur cum
subiungitur: Quesiui. et non inueni illum. Hec reuera domine
nostre inquisitio. incomparabilis qua humanis miseriis conde-
scendebat est passio. Quod enim quisque uel in hoc seculo. uel in infer-
no positus sustinuit. hec beata uirgo se sustinere credidit.
quia illorum penas eque ut anime sue periculum deflebat. quod nul-
la ratione se posse euadere sciebat. nisi unigenitus patris ho-
minem redempturus homo fieret. Sed quia plenitudo temporis non-
dum aduenerat. dilectus licet anxie quesitus et desideratus non
inuenitur. Sed numquid propter hoc querere cessat. Minime. Vocaui
inquit. et non respondit mihi. Cuius uocatio. intenta ad deum die noc-
tuque fuit supplicatio. Vocauit sane. dum post longa humane
restaurationis desideria. ad inuicte orationis se conuertit
studia. Sed licet ipsum dilectum in eternitatis regione constitutum deside-
rabili clamoris huius die noctuque inquietaret importunitate. ip-
se tamen quasi non audiens. nec desiderata uultus sui presentia que-
rentem letificauit. nec aliquo responsionis uerbo. si quando fieri de-
beret clamanti satisfacere curauit. Sed non destitit clamando.
ideoque superne consolationis gratiam consecuta est [illegible]. Unde
sequitur. Inuenerunt me inquit custodes ciuitatis. percusserunt
me. et uulnerauerunt me. Per custodes ciuitatis angelicos con-